

Etos multis rationibus probe observat *Henr. Salmuth*.
in Notis ad Panciroll. Deinde verò nostram maxime
ab eorum discrepare quis ignorat? Ingens enim inter
Germanorum & Sinenfium Typographiam datur discrimen,
quod annotatum vide ap. *Mich. Majerum*, aliosque.
Accedit, quòd hujus sententiae autores sibimet ipsis
passim contradicant, quorum loca pugnancia *Thom.*
Lansius collegit *in Orat. pro Germ.*

XIII. Eodem fundamento nituntur & illi, qui
Italis, itemque *Gallis*, inventionem adscribunt, siquidem
& hae Nationes Inventores Typographiae salutari ne-
queunt. De *Gallis* enim res ita est in promptu, ut disce-
ptatione ulteriori non egeat; namque *Antonii Campani*
falsa de Typographiae inventionem sententia jam du-
dum est explosa, vid. *Majerus in vero Germ. invento.* De
Italis verò cognitum perspectumque satis est ex *Thom.*
Garzoni amphitheatro universali, *Mylaei* consilio Hi-
storiae Universitatis scribendi, aliisque *Italorum* scriptis,
quòd sibi vindicare inventionem hanc plane non de-
siderent. Et quanquam *Pomponius Laetus* eosdem ex-
inde evehendos cupide labore, praeclare tamen eum
confutavit *Peutingerus in Antiquitatibus Germ.*

XIV. Sed quid nunc dicendum de *Batavis*?
Numne illis etiam denegari potest inventio? Nonne
Hadrianus Junius, itemque *Bertius*, & alii, multis compro-
bare argumentis videntur *Laurentium Jo. Costerum, Har-*
lemensem, primum Typographiae fuisse inventorem?
Et quis ignorat, hodie adhuc in foro *Harlemensi* ad do-
mus *Costerianae* fastigium hanc legi inscriptionem?

Tot eevwige Memorie de Druckerye,
Konste aller Konsten Bewaersterse,
Is hier eerstmaal gevonden ontrent het Jaar

CIO CCCC XL

Respon-